TECHE UDINE

MANOSCRITTI

FONDO JOPPI

Manoscritto n. J_MSS_0260

I manoscritti che compongono compongono il fondo, assieme alle migliaia di testi a stampa - compresi rari incunaboli e cinquecentine - il Fondo Joppi, sono quasi esclusivamente di interesse friulano. La raccolta si è formata nell'arco di una sessantina di anni grazie alle ricerche di Vincenzo ed Antonio Joppi.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine - Inventario dei manoscritti del Fondo Joppi
https://www.techeudine.it/fondo-joppi
https://www.sbhu.it/

N. Doppi
260

Mr Zuane Franchi Can.o di Aquileja
e Vic.o Generale del Rev.do Franco Barbaro
negli anni 1607, 1614. Veggasi
la sua biografia nel Colgadagli Udine
Illustrato ecc.

Benedictio communis super fruges, & Vineas.

℣. Adiutorium nostrū in nōie Dñi. ℟. Qui fecit Cælū, &, terram.

℣. Domine exaudi orationem meā. ℟. Et clamor meus ad te ueniat.

℣. Dominus uobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Oramus pietatem tuam omnipotens Deus, ut has primitias creaturę tuę, quas aeris et pluuię temperamento nutrire dignatus es ✠ benedictionis tuę imbre perfundas et fructus terrę tuę usq. ad maturitatem perducas. Tribuas quoq. Populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut à fertilitate terrę esurientium animas bonis affluentibus repleas, et egenus, et pauper laudent nomen glorię tuę. Per xpm. D. N. Amen.

Benedictio ✠ Dei omnipotentis Patris et filij, et spiritus sancti descendat super has fruges, et uineas et maneat semper. Amen.

Aspergat illas Aqua benedicta

Mons.r Franc.o Franchi Canonico d'Aquileia Vicario Patriarchale d'Aquileia gnale à tutti, et cadauno di quelli che hanno digiunato il Mercordi, Venerdi, et Sabbato prossimam.te passati, dato qualche poca limosina à poueri, et si sono confessati, et questa mattina comunicati, dà, et concede indulgenza plenaria, et remissione de tutti li peccati in forma solita di Santa Giesa per la facoltà, che tiene dalla Santità di N. Sig.re Papa Paolo V. N. come più diffusam.te si contiene nel Breue Ap.co

Auctoritate Dei omnipotẽtis, et Beator. Petri, & Pauli Apost.rum eius, nec nõ Apostolica, qua fungor in hac parte, absoluo vos et uestrũ quemlibet à quib.uis excõmunicationis, suspensionis, et interdicti, alijsq. Ecclialticis Sententijs, Censuris, et pœnis, etiã in litteris die cœnæ Domini legi solitis, contentis, & per uos, uel maiores uestros ignoranter incursis (sine tamen alicuius ꝑiudicio) et restituo uos Sacramentis Eccliæ, participationi, et cõmunioni fidelium uosq. omnes, et uestrũ quemlibet, Agros, Possessiones, et Bona uestra, ex parte omnipotentis Dei, et Beator. Petri, et Pauli Apostolor. eius, & Apostolica mihi demandata Benedico in Nomine Patris, et Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

non tamen

Benedictio cõmunis super fruges, et Vineas.

℣. Adiutoriũ nostrũ in nõie Dñi. ℟. Qui fecit Cœlum, et terrã.
℣. Dñe exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te ueniat.
℣. Dñs uobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Oremus.

Oram) pietatem tuã omnipotens Deus, ut has primitias

tias creatură tuă, quas aeris & pluuię temperam nutrire dignatus es ✠ benedictionis tuę imbre perfundas, & fructus terrę tuę usq; ad maturitatem p̄ducas. Tribuas quoq; Populo tuo de tuis muneribꝰ tibi semper gratias agere, ut à fertilitate terrę esurientiū animas bonis affluentibꝰ repleas, et egenus, et pauper laudent nomen gloriæ tuę. Per xp̄m D.N. Amen.

Bn̄dictio ✠ Dei omnipotentis Patris, et Filij, et Spiritus Sancti descendat super has fruges, et vineas, et maneat semper. Amen.

Aspergat illas Aqua bn̄edicta.

ORDO

RITVVM ET CERIMONIARVM

CREANDI ABBATISSAM

SEV PRIORISSAM

Sufficiendi habitum monialem &

Professionem

[illegible] Dioecesis

[illegible]

ANNO M.D.CXIIII.

ORDO

RITVVM, ET CÆRIMONIARVM

CREANDI ABBATISSAM,

SEV PRIORISSAM

Suscipiendi habitum monialem, &
emittendi Professionem

AD VSVM DIOECESIS
AQVILEIENSIS

ANNO M.D.C.XIIII.

OURO.

ORDO CREANDI ABBATISSAM, seu Prioriſſam.

PRælatus, uel alius de eius mandato, in Ecclesia exteriori Monaſterij celebret Miſſam de spiritu Sancto, & cõmunicat moniales; poſt accedit ad Parlatoriũ. Ante quẽ Prælatũ Abbatiſſa procũbet flexis genibus, et accuſabit se de negligentiis, et defectib⁹ admiſſis in ſuo officio, et reſtituet illi regulam, Sigillũ, et claues monaſterij; quo facto Singulæ moniales ordine accedent ad Prælatũ, et eligent nouam Abbatiſſam, prius breui ſermone edoctæ, quã eligere debeant, et pronũciabitur Abbatiſſa illa, quę pro se habebit medietatem ſuffragiorũ, et ſtatim illam faciet Prælatus ſupra alias monialeſ aſcendere, quam hortabitur, ut bene regat monaſteriũ, et cũ charitate, executionem decretorũ, et ordinum ſeueritatemq; in puniendo inobedientes eidem ſerio iniungendo, quo facto Abbatiſſa cum Monialibus genuflectet, & interim Prælatus dicet ſequentes Orationes.

℣. Saluam fac ſeruam tuam Dñe. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mitte ei Dñe auxilium de ſcto. ℟. Et de Sion tuere eam. ℣. Dñe exaudi orationẽ meam. ℟. et clamor meus ad te ueniat. ℣. Dñs vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus, cui omnis poteſtas, & dignitas ſeruitur; da huic famulę tuę N proſperum tuę dignitatis officium, in quo ſemper te timeat; tibiq;

iugiter placere intendat. Per Christũ Dñm N.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui sororem Moysi Mariam præeuntem cum ceteris mulieribus inter aquoreas aquas cum tympanis, & choris, lætam ad litus maris uenire fecisti, te supplices deprecamur pro hac fideli famula tua N. quę hodie materna in cathedra, uniuersis sibi subditis; Abbatissa constituitur, ut in monastica, uel Canonica norma tueatur cunctas famulas tuas, sibi commissas, quatenus ad eternam gloriam, te auxiliante, cum omnibus illis introeat lęta, ibiq; exultantes, & cum angelis cantantes cantica noua, sequantur Agnum quocunq; ierit: Iesũ Christum Dnũm nostrum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto uiuit, et regnat in secula seculorum: ℟. Amen.

Post Prelatus porrigit Abbatissę librum Regulæ Religionis dicens

PIgliate Sorella Carissima questo libro nel quale si contiene la regola del uiuere prescritta all'ordine uostro da quel santiss. Padre N. che primo l'instituì, secondo l'tenor della quale uoi hauete à guidare, et regere questo grege, che Iddio u'ha dato in cu-

stodia, Procurate, quanto la debolezza & fragi-
lità humana comporta che la uita, et disciplina uo-
stra, et di tutto questo monastyo si conformi in tutto,
et per tutto con questi santi precetti, nei quali à
uoi spetta d'esser maestra, & guida à tutte l'altre,
con le quali piaccia al Signore di condurui salua
al Paradiso, doue egli insieme col Padre, & con lo
Spirito Santo uiue, et regna Dio in sempiterno. *Amẽ.*

Post Prelatus porrigit Claues dicens.

FAte sorella carissima, che non solo quello, che
ftà chiuso sotto queste chiaui, ma molto più
quello, che quest'atto di consegnaruele significa, ui
sia sempre à core, e procurate percio di poterle ren
dere senza colpa a Dio Benedetto nel tremendo gior-
no del giudicio, nel quale ui saranno dimandate, et
ui conuerrà dar conto dell'aministratione di esse,
et patir la pena d'ogni peccato, che per poca cura,
ò poca diligenza uostra si sarà cõmesso in questo
monasterio, cosi il Sig^re. assista sempre à tutte le at
tioni uostre con la gratia del Spirito S^to. *Amen.*

*Quibus omnibus peractis, Prelatus benedicat monia-
libus deuote genuflexis dicens.*

BEnedicat uos omnipotens Deus, Pater ✠ Filu?
✠ Et Spiritus Sanctus ✠ & descendat super
uos, et maneat semper uobiscum. *Amen.*

ORDO RITVVM,

ET CAERIMONIARVM

Suscipiendi Habitum Monialem.

QVM primum Puella ad religionem admissa fuerit, statim omnes vestium luxus, inanemque ornatum deponat, & nigro, vel fusco vestitu induatur, ea modestia, & submissione, vt omnes intelligant, eam mundo renuntiasse, vt Deo religiose inseruiat. Quando ergo constituta erit dies, qua habitum suscipiat, (quem suscipere non potest ante xij. annum, iuxta Decretum sacri Concil. Trident.) ipsa peccata primum confiteatur; se seque præparet ad Sanctissimam Eucharistiam in Missa celebranda sumendam; tum hora competenti, veste alba, non tamen serica, induta, capillis super humeros expansis, à Prioriſſa, aut ab Abbatissa, ad Ecclesiam interiorẽ deducatur, prosequentibus alijs Monialibus, & canentibus

Sess. 25 de Reg. & Monial. ca. 17.

Psalmus 41.

QVemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitiuit anima mea ad Deum fontẽ viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.

In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea: & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonijm á monte modico.

Abyssus abyssum inuocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fructus tui: super me transierunt.

In die mandauit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum eius.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum. Amen.

Hoc tempore Confessarius amictu, alba, cingulo, stola, & pluuiali indutus, inchoet Tertiam; qua absoluta, præcedente Cruce, & Clero, se conferat ad Ianuam Monasterij, vbi

vbi expectet, donec Moniales perueniant. Aperta postea paullulum Ianua, Prioriſſa cum omnibus Monialibus ſtet poſt ipſam Ianuam, & Nouitia ante Ianuam genuflexa, dummodo clauſuram ſeruet; (Hæc cærimonia fieri poteſt etiam ante feneſtellam, ſi videbitur.) Tum Confeſſarius tradens ei Crucem, dicat:

Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Luc. 9.*

Puella reuerenter capiens, & deoſculans Crucē, reſpondeat.

Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Gal. 6.*

Deinde Confeſſarius coronam capiti eius imponat, dicens.

Dabit Deus capiti tuo augumenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. *Prou. 4.*

Puella caput coronæ ſubmittens, reſpondeat.

Impinguabit Deus in oleo caput meum, & inhabitabo in domo Domini, in longitudinem dierum. *Pſ. 22.*

Si fuerint plures; ſingulis fiat, & dicatur, vt ſupra; & ſingulæ reſpondeant. Tum Confeſſarius dicat, aut ſic, aut in plurali, ſi fuerint plures; quod ſemper ſeruatur in reliquis omnibus orationibus, benedictionibus, & interrogationibus.

Si viceris, faciet te Deus columnam in templo, & foras non egredieris amplius. *Apoc. 3.*

Puella, aut Puellæ ſimul reſpondeant.

Lætata ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus. *Pſ. 121.*

Puella ipſa ſola, etiam ſi fuerint plures, Monaſterij valuas percutiat ſemel, atque iterum, nihil dicens; quo facto, Prioriſſa clara voce dicat.

Pacificus nè eſt ingreſſus tuus? aut,

Pacificus nè eſt ingreſſus veſter?

Puella,

Puella, aut Puellæ simul respondeant, & eadem voce, ita vt inuicem audiantur.

1. Reg. 16. Pacificus; ad immolandum Domino veni.

Et aperta Ianua, Prioriſſa dicat ſingulis; ſi fuerint plures N. ſæcularis recedat, & ſoror N. ſponſa Chriſti ingrediatur.

Et tunc Puella, ſeu Puellæ à Prioriſſa excipiantur; & Confeſſarius det benedictionem.

Benedicat te Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ✠ benedictione, qua Patres noſtros benedicere dignatus eſt, Abraham, Iſaac, & Iacob, & exaltet te Dominus in ſanctitatem, & dilectionem, & impleat omnes petitiones tuas: qui viuit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

His dictis ſtatim claudatur Ianua, canentibus Monialib. Añ.

Benedicta, quæ venit in nomine Domini.

Si fuerint plures. Benedictę, quę venitis in nomine Domini.

Et præcedente Cruce, alijsque Monialibus, ac Prioriſſa vltimo omnium loco, vna cum Nouitia, fiat proceſſio ad Eccleſiam interiorem, & cantetur Pſalmus 83.

QVàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea: exultauerunt in Deum viuum.

Etenim paſſer inuenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: rex meus & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam : auribus percipe Deus Iacob.

Protector noſter aſpice Deus : & reſpice in faciem Chriſti tui.

Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis : ſuper millia.

Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei : magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus : gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.

Gloria Patri, & Filio : & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper : & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Confeſſarius vero, & alij omnes redeant ad Eccleſiam exteriorem ; vbi expectant, donec prædictus Pſalmus, & proceſſio perficiatur : quibus abſolutis, ſtans ante altare, ſic oret.

℣. Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.

℟. Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

PRotege quæſumus omnipotens Deus famulam tuam diuinis rebus inhærentem, vt & corpore tibi famuletur, & mente. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Abſoluta hac oratione, Confeſſarius procedat ad feneſtellã, vbi ſedens ita interroget Puellam genuflexam.

Confeſſarius. Quid quæris filia ?

Ps. 26. Virgo, seu Virgines omnes simul. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluntatem Domini, & visitem
Ps. 25. templum eius. Dilexi decorem domus Domini, & locum habitationis gloriæ eius.

1. Cor. 7 Confessarius. Sic ne statuisti in corde tuo firma, non habens necessitatem, potestatem autem habens tuæ voluntatis?

Ps. 53. Virgo, seu Virgines omnes simul. Sic iudicaui in corde meo, & voluntarie sacrificabo Domino, & confitebor no-
Ps. 83. mini eius, quoniã bonũ est. Elegi enim abiecta esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.
Ps. 131 Hæc igitur requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

Confessarius. Si ergo in domo Domini habitare desideras,
Gen. 12 egredere & tu cum Patre Abraham de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, vt venias in terram promissionis, idest in domum Religionis, quam tibi monstrauit Dominus, & benedicat tibi.

Ps. 54. Virgo, seu Virgines omnes simul. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? ecce elongabo fugiens, & manebo in solitudine, expectans Deum, qui mẽ saluãm faciat. Quid enim mihi est in cœlo, & à Do-
Ps. 72. mino quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea, tu Deus in æternum; quia ecce, qui elongant se à te peribũt, perdidisti omnes fornicantes abs te; mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

Deinde Confessarius inchoet, prosequentibus cantoribus, Hymnum Veni Creator Spiritus, & dicto primo versu, surgat, & se conferat ad Altare, & claudatur feneſtella, vsque ad Communionem.

Veni

VEni cre a tor Spi ri tus.
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui Paraclitus diceris,
Donum Dei altissimi,
Fons viuus, ignis, charitas,
Et spiritalis vnctio.
Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemq; dones protinus;
Ductore sic te præuio
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium:
Te vtriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Gloria Patri Domino,
Natoque, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

Quo

Quo Hymno absoluto dicat Confessarius.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

MEntes nostras quæsumus Domine lumine tuæ claritatis illustra; vt videre possimus, quæ agenda sunt, & quæ recta sunt agere valeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. &c. ℟ Amen.

Et statim inchoet Missam, depositio pluuiali, assumptoque manipulo,& planeta; quæ Missa debet esse de die, si est festum duplex, sin autem pro deuotione Virginum,dummodo in ea dicatur oratio de Spiritu sancto. Post sumptam Communionem à Confessario Moniales omnes clara voce dicant Confessionem, qua absoluta, Confessarius item clara voce dicat Misereatur, &c. & accepta pixide procedat ad fenestellam, dictisq; Ecce Agnus Dei, & Domine non sum digna,&c. ter cum Monialibus, communicet primo Nouitiam,deinde alias Moniales,si erunt præparatæ Communione absoluta, redeat ad Altare, recondat Sacramentum, abluat digitos, & perficiat Missam; deinde exuat planetam, & manipulum, induatque pluuiale, & accedens ad fenestellam,oret sic supra Nouitiam ibidem in interiori Ecclesia genuflexam.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Congrega nos Domine de nationibus.
℟ Vt confiteamur nomini sancto tuo,& gloriemur in laude tua.
℣. Saluam fac ancillam tuam Domine.

℟. Deus

℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere eam.
℣. Eſto ei turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte Rex Regum, & Dominus Dominantium; qui à Patre egrediens, & hunc mũdum ingrediens, carnem mundiſſimam de immaculata Virgine ſuſcepiſti; vt nos liberares de manibus inimici, & ad Paradiſi patriam reuocares, reſpice ſuper hanc famulam tuam, quæ mundum cum pompis ſuis derelinquere diſpoſuit, & in hoc ſacro monaſterio tibi Domino, ſacrarum animarum ſponſo, facias perpetuo deſeruire; ac infunde cordi ſuo benigniſſimam gratiã Spiritus ſancti; quę eam illuminet, ad te Deum Creatorem ſuum cognoſcendum, ac perfecte diligendum, vt cum dies, finisque vitæ eius aduenerit, emundata ab omnibus peccatis ad regna valeat cęleſtia peruenire. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Finita hac oratione afferantur veſtes, quibus induenda erit Nouitia; eæ à Monialibus decenter exhibeantur coram Confeſſario; qui benedicat eas hoc modo.

BENEDICTIO VESTIVM.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui tegmen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſam pietatem tuam, vt hoc genus veſtimenti, quod ſancti patres noſtri ad mundi contemptum, & in humilitatis inditium abrenuntiantibus ſæculo, ferre ſanxerunt; tu ita bene ✠ dicere, & ſancti ✠ ficare digneris, vt hæc famula tua, quæ illo vſa fuerit, te Dominum, & Saluatorem ſuum induere mereatur. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuis, & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

BENEDICTIO VELI ALBI.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte Fili Dei viui, cuius Apoſtolus muliebrem ſexum in ſignum ſubiectionis, humilitatis, & honeſtatis velamen ſuper caput ſuum, propter Angelos, habere præcepit; cuiuſque oculos tempore acerbiſſimæ paſſionis tuæ ad opprobrium peccatores impij velauerunt, quæſumus, propter gloriam honorandi nominis tui, tam copioſam benedictionis tuæ ſuper his velaminibus infunde virtutem, quod famulam tuam illa gerentem, tibi ſubiectam in omnibus, & cuicunque tenetur ex ordine, quem aſſumit, efficiant, nè proprias virtutes, & bona concernens, in gloriam elata te perdat, ſed in vera humilitate conſeruent, & obumbrent, ab omni etiam oculos eius vanitate

tate compeſcant; demum turpiſſimæ mortis tuæ dulcis ſponſi ſui memoriam hoc viduitatis inditium ſæpe mentis eius oculis repræſentent, & radicibus cordis continuo recolendam tenacius aſtringant, vt cum hac galea ſalutis, tanquam ſocia paſſionis tuæ, conſolationem tecum æternam, cum omni curia cęleſti ſemper valeat experiri. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

BENEDICTIO CINGVLI.

Oratio.

OMnipotens, & miſericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuæ miſericordiam quærentibus veniam, & miſericordiam tribuiſti, oramus immenſam clementiam tuam, vt hoc Cingulum bene ✠ dicere, & ſancti ✠ ficare digneris; vt hæc famula tua, quæ pro peccatis ſuis eo cincta fuerit, & miſericordiam implorauerit, veniam, & indulgentiam tuę ſanctę miſericordię conſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Dictis orationibus, veſtes, & omnia ter aſpergantur aqua benedicta, ac deinde ſemel Nouitia, dicendo.

Benedicat ✠ te Dominus ex Sion, & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Similiter adoleantur ter incenſo, dicendo.

Dirigatur Dñe oratio mea ſicut incenſum in cõſpectu tuo.

Dum puella exuit veſtes laicas, Prioriſſa dicat.

Exuat te Dñs veterem hominẽ, cum actibus ſuis. ℟ Amen.

Dum induitur veſtibus Monialibus, dicat.

Induat te Dominus nouum hominem, qui ſecundũ Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. ℟. Amen.

Inducta Virgo reſpondeat.

Gau-

Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me.

Dum Prioriſſa cingit eam dicat.

Accipe Cingulum ſuper lumbos tuos, & ſint lumbi tui præcincti in ſignum temperantiæ, & caſtitatis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ✠ ſancti. ℟. Amen.

Præcincta Virgo reſpondeat.

Præcingat Dominus lumbos corporis mei, vt circuncidat vitia cordis mei.

Si fuerint plures, ſingulæ ſe exuant, induantur, & præcingantur, & dicatur vt ſupra. Tum Confeſſarius, ante Tonſuram, dicat hanc orationem.

ORemus dilectiſſimi fratres, & ſorores Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro hac famula ſua; quæ, ad deponendam comam capitis ſui, pro eius amore, feſtinat; vt donet ei Spiritum ſanctum, qui habitum religionis in ea perpetuo ſeruet, & à mundi impedimentis, ac ſæcularibus deſiderijs cor eius defendat; vt, ſicut in capite mutatur, & vultu, ita dextera manus eius virtutis illi tribuat incrementum, & ab omni cęcitate ſpiritali oculos eius aperiat, eique æternæ gratiæ lumen infundat. Qui viuit, & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Finita hac oratione, Prioriſſa incidat aliquot crines Puellæ, tum Moniales capillorum omnium Tonſuram perficiant: interim Choro canente Antiphonam ſequentem.

Pſ. 23. HÆc accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo: quia hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.

Si fuerint

Si fuerint plures, singulis fit, vt supra; & Chorus canat Antiphonam sic in plurali.

Hæ accipient benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari ipsarum, quia hæ sunt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.

Absoluta Antiphona Confessarius dicat.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus; vt hæc famula tua, quæ hodie comam capitis, pro amore tuo, deposuit, in tua dilectione perpetuo maneat, & eam sine macula in sempiternum custodias. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Item Priorissa, tradens Nouitiæ velamina, dicat.

Succingat crinem tuum modestia, sobrietas, continentia; vt virtutum accincta comitatu purpureo dominici sanguinis redemita velamine, mortificationem Domini Iesu in carne tua circunferas.

Velata Virgo respondeat.

Domine Domine virtus salutis meæ, obũbrasti caput meũ in die belli; non tradas me Domine à desiderio peccatori. Psal. 38.

Si fuerint plures, singulis fiat, & dicatur, vt supra. His completis, Confessarius stans dicat super Nouitiam orationem.

Oratio.

TVere, quæsumus, ancillam tuam Pater charitatis, & gloriæ; vt, quasi in horto clauso, & fonte signato, teneat claustra pudicitiæ, signacula veritatis; Agrum suum colere nouerit, quem colebat sanctus Iacob; & sexagesimos, & centesimos quoq; fructus capescat in huius virtutibus, & fortitudinibus agri: suscites in ea gratiã, & resuscites

charitatem ; inueniat quem dilexit ; teneat eum, nec dimittat, donec bona illa vulnera charitatis excipiat ; quæ epulis præferuntur ; ſemper pacata noctibus, & diebus toto ſpiritu mentis inuigilet, nec vnquam dæmon eam inueniat dormientem. Et quoniam vult ſe dilectus tuus ſæpius quæri, vt adſit Deo, vigilet cor eius, caro dormiat, nè male incipiat vigilare peccaris. Tu Domine adiunge alios caſtitatis ornatus ; adiunge ſedulos pios cultus, vt nouerit poſſidere vas ſuum, nouerit humiliari ; dilectionem teneat, veritatis murum, pudoris ſeptum ; non pineæ velamen eius, non vincant cupreſſi : non vincant turtures pudicitiam eius : ſimplicitatem eius non vincant columbę : ſit in corde ſimplicitas, in verbis modus : erga omnes pudor, pietas erga propinquos : circa egenos, & inopes miſericordia ; quod bonum eſt teneat : ab omni ſpecie abſtineat mali, veniat ſuper eam benedictio morituri : & os viduæ benedicat eam. Pone, vt ſignaculum, verbum tuum in corde eius : Chriſto eluceat, Chriſtum intendat, Chriſtum loquatur. Aquæ multę non poſſint eius extinguere charitatem : nec perſequutio, nec gladius, nec periculum, ſed confirmata in omni verbo, & opere bono, gloriam tuam induat, & in tua gratia conſeruetur in hoc mundo : ſanctifices eam in veritate, in virtute confirmes, in charitate connectas, atque ad illam cęleſtem gloriam pudicitiæ, & integritatis coronam illibatam, immaculatamque diuino tuo fauore perducas : vt illic Agni tui ſequatur veſtigia : in meridiano paſcat, in meridiano maneat, nec in greges ſodalium incidat, ſed Agnis tuis adiuncta ſine offenſione verſetur, comes Virginum, pediſequa Mariarum. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ Filium tuum, qui tecum, & cum Spiritu tuo viuit, & regnat Deus per omnia ſæcuia ſæculorum. ℟. Amen.

Deinde,

Deinde, accepto aſpergillo Nouitiam, & Moniales circunſtantes aſpergendo aqua benedicta, dicat.

Pax, & benedictio ✠ Dei Patris omnipotentis, & Filij, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper vobiſcum. ℟. Amen.

Demum Confeſſarius redeat ad Altare, & ibi genuflexus inchoet Hymnum **Te Deum laudamus.** Cantoribus proſequentibus.

TE De um lauda mus.
Te Dominum confitemur.
Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli: tibi cœli, & vniuerſæ poteſtates.
Tibi Cherubim, & Seraphim: inceſſabili voce proclamant.
Sanctus, Sanctus, Sanctus; Dominus Deus Sabaoth.
Pleni ſunt cœli & terra: maieſtatis gloriæ tuæ.
Te glorioſus Apoſtolorum chorus.
Te prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia.
Patrem immenſæ maieſtatis.
Venerandum tuum verum: & vnicum Filium.
Sanctum quoque paraclitum Spiritum.
Tu rex gloriæ Chriſte.
Tu patris ſempiternus es Filius.
Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem: non horruiſti virginis vterum.
Tu deuicto mortis aculeo: aperuiſti credentibus regna cœlorum.

Tu ad

Tu ad dexteram Dei ſedes : in gloria Patris.

Iudex crederis eſſe venturus.

Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubueni : quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Æterna fac cum ſanctis tuis : gloria munerari.

Saluum fac populum tuum Domine : & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos : & extolle illos vſque in æternum.

Per ſingulos dies : benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum : & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto : ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine : miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos : quemadmodum ſperauimus in te.

In te Domine ſperaui : non confundar in æternum.

Quo finito, dicat

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

DEus, qui non vis mortem peccatorum, ſed per pænitentiam, & emendationem pia miſeratione vitam ſemper inquiris, & placaris, te ſuppliciter deprecamur; vt huic Ancillæ tuæ ſæcularibus actibus renuncianti large tuę pietatis clementiam infundere digneris; quatenus caſtris tuis inſerta, ita, tibi militando, ſtadium vitæ præſentis percurrere valeat; vt brauium æternæ remunerationis, te donante, percipiat. Per Chriſtum Dominũ noſtrũ. ℟. Amen.

Claudatur feneſtella, & Nouitia det oſculum pacis Prioriſſæ, tum alijs omnibus Monialibus, quæ interim, cantent Pſalmum 132.

ECce quàm bonum, & quàm iucundum: habitare fratres in vnũm.

Sicut vnguentum in capite: quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.

Quod deſcendit in oram veſtimenti eius: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.

Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem: & vitam vſque in ſæculum.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Quod ſi forſan Puella ſolemniter etiam recipienda erit in Monaſterio, mane perducatur ad Eccleſiam exteriorem ipſius ab intimis tantum, cognationeq́; propinquioribus mulieribus, nulla pompa, nulloque inuitatu aliorum. Vbi ante Altare oret, Miſſæque interſit, in qua ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumat; deinde Confeſſarius cotta, & ſtola indutus, ei Crucem tradat; & alia ante Altare peragat; quæ ante Ianuam Monaſterij peragenda eſſe ſupradictum eſt; omiſſis tamen omnibus, quæ in ſuſcipiendo habitum poſtea peragenda erunt; dummodo eodem die habitum etiam induere non intendat. Deducat item Confeſſarius ipſam ad Ianuam Monaſterij, dicens **Si viceris, &c.** & ipſa reſpondeat **Lætata ſum, &c.** & Moniales eodem tempore procedant ad Ianuam ipſius Monaſterij, vt ſupra dictum eſt.

SVB ARBORE MALO SVSCITAVI TE.
Cant. 8.



Sum vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus
eius dulcis gutturi meo. Cant. 2.

ORDO RITVVM,
ET CAERIMONIARVM
EMITTENDI PROFESSIONEM.

COmpleto primo probationis anno, si Nouitia fuerit ætatis professionem legitime emittēdi, quod videlicet expleuerit annum xvj. iuxta dispositionem Sacri Concilij Tridentini; Moniales omnes die, qua ipsa Nouitia ad Professionem excipienda erit, hora competenti, procedant ad Ecclesiam interiorem, Priorissa, & Nouitia vltimo loco prosequentibus, canentes alternatim Psalmum 39. *Sess. 25 de Reg. & Monial. ca. 17.*

EXpectans expectaui Dominum: & intendit mihi.
Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fęcis.
Et statuit super petrā pedes meos: & direxit gressus meos.
Et immisit in os meum canticum nouum: carmen Deo nostro.
Videbunt multi, & timebunt: & sperabunt in Domino.
Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius: & non respexit in vanitates, & insanias falsas.
Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogita-

gitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiaui, & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum, & pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiaui iustitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.

Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam: à concilio multo.

Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas à me: misericordia tua, & veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine vt eruas me: Domine ad adiuuandum me respice.

Confundantur & reuereantur simul qui quærunt animam meam: vt auferant eam.

Conuertantur retrorsum, & reuereantur: qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent,

Exultent,& lætentur super te omnes quærentes te: & dicãt semper, Magnificetur Dominus, qui diligũt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus sollicitus est mei.

Adiutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris.

Gloria Patri,& Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum Amen.

Confessarius hoc tempore procedat ad Altare indutus paramentis,pro Missa celebranda,& inchoet Tertiam, & postea Missam;in qua sacrosanctam Eucharistiam Nouitię,& Monialibus administret; omnia eo modo peragendo, quo supra in ordine suscipiendi habitum. Absoluta Missa, deponat planetam, & manipulum, accipiatque pluuiale, & procedat ad Fenestellam,vbi benedicat Velamina,& Candelas, omnia hæc coram eo à Monialibus decenter exhibita.

BENEDICTIO VELAMINVM.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

CAput omnium fidelium Deus, & totius corporis Saluator,hæc operimenta velaminum, quæ famula tua, propter tuum,tuæque genitricis, Beatissimę scilicet semper Virginis Mariæ amorem suo capiti est impositura, tua dextera sancti ✠ fica; vt hoc, quod per illa mystice datur intelligi, tua semper custodia corpore pariter,& animo incontaminata custodiat; vt, quando ad perpetuam sanctorum

remunerationem venerit, cum prudentibus & ipsa Virginibus præparata, te perducente ad perpetuæ felicitatis nuptias intrare mereatur. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre, & Spiritu sancto Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

BENEDICTIO CANDELARVM.

Oratio.

DOmine Iesu Christe lux vera, quę illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde benedi ✠ ctionem tuam super has Candelas, & san ✠ ctifica lumine gratiæ tuæ, ac concede propitius, vt sicut hęc luminaria igne visibili accensa nocturnas depellunt tenebras, ita cor huius famulæ tuæ inuisibili igne, ideſt sancti Spiritus splendore illustratum omni vitiorum cęcitate careat, vt purgato mentis oculo, ea cernere possit, quæ tibi sunt placita, & ipsius saluti sunt vtilia; quatenus post huius sæculi caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem peruenire mereatur. Per te Christe Iesu Saluator mundi, qui in Trinitate perfecta viuis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorũ. ℟. Amen.

Finita benedictione aspergantur aqua benedicta, & incensentur, ritu vt supra dictum est. His peractis, Nouitia veniat ad feneſtellam, & ibi genuflexam Confessarius sic appellet, quæ præstet omnia, vt infra.

Ps. 44. Confessarius. Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus
Ps. 49. Deus tuus. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, sacrifica sacrificium iustitiæ, & spera in Do-
Matth. 11. mino. Tolle iugum Christi super te, & discе ab eo, quia mitis est, & humilis corde, & inuenies requiem animę tuæ; iugum enim eius suaue est, & onus eius leue.

Nouitia,

Nouitia, seu Nouitiæ omnes simul respondeant. In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi, & voluntaria oris mei beneplacita nunc fac tibi, & iudicia tua doce me; Bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti, & sic psalmum dicam nomini tuo; vt reddam vota mea de die in diem. Ps. 55. Ps. 118

Confessarius. Vis Regulam B. N. profiteri?

Nouitia, seu Nouitiæ. Volo.

Confessarius. Deo gratias.

Deinde genuflexus incipiat Hymnũ, Veni creator Spiritus; & dicto primo versu, surgant omnes, excepta Nouitia, & cantores prosequantur. Quo completo, dicat Confessarius.

℣. Emitte spiritum tuum, & creabuntur.

℟. Et renouabis faciem terræ.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

SAncte Spiritus, qui te Deum, ac Dominum mortalibus reuelare dignatus es, immensam tuæ pietatis gratiam postulamus, vt sicut vbi vis spiras, sic & huic famulæ tuæ affectum deuotionis indulgeas; & quoniam tua sapientia est condita, tua quoque prouidentia gubernetur; iuxta tibi consuetam gratiam vnctio tua de omnibus pie doceat; & per intercessionem Beatæ Mariæ semper Virginis, B. N. quem huius sanctæ Institutionis legislatorem dedisti, & B.* N. fac eam à vanitate sæculi veraciter conuerti; & sicut es omnium peccatorum remissio, ita deprimentes impietatis obligationes in ea dissolue, & ad obseruantiam huius sancti propositi fac eam ita certantem, vt in tribulationibus, & angustijs, tua indeficienti consolatione valeat respirare; & quod iuste, & pie per veram humilitatem, atque obedientiam in fra-

* Nominet hic sãctum, seu sanctam, cui consecrata est Ecclesia Monasterij, vel quorum, aut quarũ reliquiæ illic reseruantur.

fraterna charitate fundata, te donante, hodie vouere, & promittere intendit, feliciter perseuerantia compleat; quod ipse præstare digneris, qui cum Deo Patre, sanctoque vnigenito Filio eius Domino nostro Iesu Christo viuis, & gloriaris Deus per infinita sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde subdat benedictionem super Nouitiam, dicendo.

Omni benedi ✠ ctione spiritali benedicat te omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. ℟. Amen.

Nouitia, seu Nouitiæ omnes simul, accepta benedictione, statim à fenestella recedentes, se ipsas competenti spatio retrahant; & versus Confessarium humi se prosternant, facies suas super ambas manus suas coniunctas, & expansas deponentes; & dum prostratæ manent, panno aliquo nigro à Monialibus contegantur; & dum surgunt ab ijsdem detegantur. Nouitia ergo, seu Nouitijs sic humi procumbentibus, Confessarius stans dicat submissa voce.

Pater noster, &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluam fac ancillam tuam.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oratio.

REspice, quæsumus, Domine propitius super hanc famulam tuam, vt sanctæ professionis propositum, quod te inspirante suscepit, te protegente illęsum custodiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde sedens dicat.

Matth. 25. Surge Filia, & orna lampadem tuam, ecce sponsus venit, exi obuiam ei.

Quo

Quo dicto, Nouitia, seu Nouitiæ omnes simul, sublato panno à Monialibus, aliquantulum versus Confessarium procedentes, dicant.

Ecce venio ad te dulcissime Domine, quem amaui, quem quæsiui, quem semper optaui. Suscipe igitur me secundum eloquium tuum, & viuam, & ne confundas me ab expectatione mea. *Ps. 118*

Hoc completo, iterum, & tertio procumbant Nouitiæ, cooperiantur, surgant, & aliquantulum procedant, vt supra: & Confessarius item iterum, & tertio dicat **Surge,** seu **Surgite,** si fuerint plures, vt sup. sed semper eleuãdo paullisper voce. Nouitiæ toties respondeant, **Ecce venio,** vt supra, & semper voce parumper eleuata. Quo facto, Confessarius dicat.

Veni sponsa Christi, accipe coronam desideratam, quam tibi Dominus præparauit in æternum.

Interim Nouitia, seu Nouitiæ omnes simul, & accedant ad fenestellam, & genuflexæ dicant.

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. *Luc. 1.*

Tum accedens Nouitia ad Priorissam, quæ debet sedere iuxta fenestellam, genuflexa faciat Professionem in manibus ipsius Priorissæ, legens ipsam alta voce.

In Nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Anno à Christo nato . . . . . Die vero . . . . . Mensis . . . . . .

EGo soror N. voueo, & promitto Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini, B.N.* B.N. omnibus sanctis, & tibi venerabili Matri, & Dominæ Priorissæ sorori N. & alijs omnibus tibi canonice succedentibus Priorissis in hoc Monasterio, viuere sub regula Beatissimi Patris nostri N. sine proprio, in castitate, & obedientia vsque ad mortem.

* Nominet hic Instituto rem Regulæ, & Patronũ Ecclesiæ Monasterij.

Priorissa sic Professæ respondeat.

Et ego si hæc obseruaueris, tibi promitto vitam æternam.

Deinde sic oret super eam.

Oremus, sorores carissimæ, Dominum nostrum Iesum Christum; vt quod hodie soror ista ore professa est, opere feliciter compleat.

Si fuerint plures Professæ Priorissa sic in plurali dicat.

Oremus, sorores carissimæ, Dominum nostrum Iesum Christum, vt quod hodie sorores istæ ore professæ sunt, opere feliciter compleant.

Tum Professa surgat, & accedat ad fenestellam, facta prius reuerentia Priorissæ, & ibi flectat genua, statimque Confessarius stans dicat.

TE item Domine Iesu Christe Fili Dei viui, qui tuis discipulis asseruisti, vt quicunque vult post te venire, seipsum abneget, & suam Crucem tollens, te sequatur; quæsumus, vt hanc ancillam tuam, quæ iuxta verbum tuũ se ipsam abnegare, suamque Crucem tollere, & te sequi voluit, benedicendo bene ✠ dicas, & semper, ac vbique protegas, à periculis omnibus exuas, à vinculis peccatorum absoluas, dies, & actus eius in tua pace disponas, ac prospera cuncta concedas; vt inter præsentes sæculi turbines, tuo semper munere gubernetur. Qui cum eodem Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amẽ.

Absoluta hac oratione Professa surgat, inclinans se Confessario, & Priorissæ, & se conferat ad Altare, & ibi offerat cartam suæ professionis, signas eum signo sanctæ Crucis; deinde amplectatur Altare, sic permanens aliquantulum, totam se Deo offerens, & postea deuote sic se Deo offerat.

Sicut tu Domine Iesu Christe æterno Patri pro mea salute in sacrificium, super Altare Crucis, te obtulisti; ita ego tibi hodie humili, & contrito corde, me totam in hostiam viuentem

uentem offero,& sacrifico; teque suppliciter oro, vt pro tua benignitate suscipere non dedigneris.

Dicta hac oratione amoueat se ab Altare,facta prius profunda reuerentia Cruci; & rediens flectat genua ante Priorissam; quæ,accepto velamine, illud ei tradat, dicens.

Accipe soror carissima velamen sacrum,quod proferas ante tribunal iudicis æterni, cui flectitur omne genu cęlestium, terrestrium,& infernorum;quo cognoscaris,mundum contempsisse, & te Christo veraciter, humiliterque toto cordis annixu sponsam perpetualiter subdidisse;qui te ab omni aduersitate defendat,& ad vitam æternam perducat. Qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Hic genuflectitur.

Velata professa dicat hanc Antiphonam.

Posuit signum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.

Velata Professa Confessarius dicat orationem sequentem.

Oratio.

PRæsta,quæsumus,omnipotens Deus huic famulæ tuæ, cuius capiti velum sacræ, mortificationis insigne,te inspirante, traditum est; vt in tua dilectione perpetuo maneat, & eam sine macula vsque in finem cęlesti benedictione custodias. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.&c. ℟. Amen.

Dicta hac oratione Prioriſſa accipiens Regulam,tradat eam Professæ,quæ illam ambabus manibus tangat, dicens.

Accipe filia Regulam,sub qua hodie militare vouisti;quam si bene,& diligēter,pro viribus,obseruaueris, regna tibi post hunc fęlicem cursum patebunt superna.

Si fuerint plures, ipsam Regulam simul omnes tangant, Prioriſſa dicente.

Accipite

Accipite Regulam, ſub qua hodie militare vouiſtis, quam ſi bene, & diligenter, pro viribus obſeruaueritis, regna vobis, poſt hunc felicem curſum, patebunt ſuperna.

Profeſſa, ſeu Profeſſæ omnes ſimul reſpondeant.

Ego ipſam tota mente ſuſcipio, quam totis viribus obſeruare deſidero, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Moniales reſpondeant. Deo gratias.

Deinde Prioriſſa tradat Regulã vni ex Monialibus, vt ipſam deponat ſuper Altare; & Confeſſarius dicat hanc orationẽ:

Oratio.

REſpice, quæſumus, Domine Ieſu Chriſte de excelſo gloriæ tuæ ſuper ancillæ tuæ deſiderium, hodie tibi ſponſo ſuo humiliter oblatum; & expande ſuper illam thesaurum gratiæ tuæ, ſine qua nemo poteſt proficere; vt ſicut Beatiſſimi Patris noſtri N. ſacram Regulam ambabus manibus deuotiſſime ſuſcepit, toto corde ſcilicet; ore, & opere, te auxiliante, totis viribus valeat obſeruare. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre, & Spiritu ſancto in ſæcula ſęculorum.

℟. Amen,

Hac oratione abſoluta, Profeſſa ſurgat, & facta reuerentia Prioriſſæ, procedat ad feneſtellam, & ibi flectat genua, accipiens de manu Confeſſarij ſedentis coronam; qui, dum ipſam porrigit, dicat.

Eſa. 16. Quaſi ſponſam decoret te corona Dominus.

Profeſſa reſpondeat.

Pſ. 102 Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius; qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus; qui replet in bonis deſiderium tuum.

Dum Confeſſarius porrigit Candelas accenſas dicat.

Quaſi

Quasi lux splendens procedat semita tua, & crescat vsque ad perfectam diem.

Professa respondeat.

Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis; gressus meos dirige secundum eloquium tuũ, & non dominetur mei omnis iniquitas.

Sic faciant singulæ, si fuerint plures; stantes postea in circulo, respicientes fenestellam, omnes simul dicant sequentem Antiphonam.

Ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur; ipsi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotione committo.

Dicta Antiphona Confessarius oret super Professam genuflexam hoc modo.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

EGredere Domine Iesu Christe in die sponsalium tuorum, suscipe iam dudum deuotam tibi spiritu, nunc etiam professione; imple agnitione voluntatis tuæ; assume ab initio in salutem, in sanctificatione spiritus, & fide veritatis; vt dicat famula tua, tenuisti manu dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & in gloria assumpsisti me: Aperi manum tuam, & imple animam eius benedictione, vt saluam facias sperantem in te; & fiat vas in honorem, sanctificatum, vtile Domino, ad omne opus bonum probatum; per illam æternalem crucem, per illam venerabilem gloriam Trinitatis, cui est honor, gloria, perpetuitas Patri, & Filio, & Spiritui sancto à sæculis nunc, & semper per omnia sæcula sæculorum. ℟ Amen.

℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.
℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus.
℟. Amen.
℣. Procedamus in pace.
℟. In nomine Chriſti.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.

Deinde accepto aſpergillo aſpergat Profeſſam Nouitiam aqua benedicta, dicens.

Benedicat te Dominus ex Sion, & videas, quæ bona ſunt Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ; & virtus perſeuerantiæ, & benedictio ✠ Dei Patris, eiuſque Filij Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper tecum, ℟. Amen.

Tum imponat ſilentium Nouitię profeſſę per tres dies communicus, vt melius ſponſo animæ ſuæ vacet; & poſtea inchoet Hymnum Te Deum laudamus, proſequẽtibus cantoribus, & recedat ad Altare, & ſtans expectet, donec Hymnus perficiatur; quo abſoluto, dicat.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Ieruſalem.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

ACtiones noſtras quæſumus Domine, aſpirando, præueni; & adiuuando proſequere; vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Exau-

℣. Exaudiat nos omnipotens, & misericors Dominus.
℟. Et custodiat nos semper. Amen.

Finitis his omnibus, claudatur fenestella, & Professa Nouitia det osculum pacis Priorissæ, & alijs omnibus Monialibus, quæ discedant ordine, quo venerunt, cantando alternatim Psalmum 132. **Ecce quàm bonum, &c.** vt supra.

FINIS.

Laus Deo, eiusque genitrici Virgini Mariæ, B. Augustino, & B. Luciæ virgini, & martyri.

℣ Peracta benedictione Prælatus tradit Professas Abbatissæ dicens.

Accipe mater has Sorores, et uide quomodo ipsas Deo serues, & repręsentes immaculatas, redditura pro eis rationem in die Iudicij̃ ante Tribunal ſponſi earum uenturi Iudicis. Amẽ.

BEATA VIRGO
NOVITIIS PROFESSIS
IN ORDINE CARMELI.

FActa Professione, incipit primus dies nuptiarum; & terminatur, quando anima de corpore egreditur: Ideo oportet eam istum diem cum tribus expendere, scilicet, discreto timore, deuoto gaudio, & feruenti charitate.